

pis lacuum vel fluviorum omnino glabrascit). Pari modo *Hieracium boreale* Fries. Huc pertinent *Salices lanata, glauca, limosa, versifolia, aurita, livida* etc., quarum folia locis siccis plus minus hirsuta, in aqua autem glaberrima; sicut formæ nuper allegatis plantarum varietatibus contrariæ, quo propius ad aquam nascuntur eo glabriores fieri animadvertuntur, aliis innumeris omissis u). Quibus rebus facile intelligitur, plantas in genere pubescere solere siccitate, sed glabrescere aqua.

## §. 25.

Sed etiam aliis de causis mutari plantarum naturam vel speciem externam videmus. Plantas in genere extenuari aqua, nec non glabrescere; contra vero abbreviari atque pubescere solere siccitate, jam supra breviter ostendimus. Vasa enim aqua repleta extendi, apertum est; et

t) Formas ad *H. vulgatum* Fr. utique pertinentes, sub *H. murorum* β. (Læst. l. c.), cum Ill. Wahlenb. subintellectas habebam cum, *H. vulgat.* illuc citarem. Itaque levius peccatum est.

u) Annon *Cerastium arvense* β; *C. strigosum* Fr.; *Rosæ collina* etc., locis apertis campestribusque pubescentes, huc quoque spectant? Cfr. Fries Nov. Ed. 2. pag. 144, obs. et pag. 146, *Rosa canina collina*. Item pag. 178, ubi de *Menthis*; "in valde aquosis plurimæ grabrescunt," affirmat.